13

WILH. HULDERICI Waldtschmiedts/
Doct. Instit. Anatom. Botanic. & Philos. Exper. Prof. Ordinarii

PROGRAMMA
DE

VEGETABILIUM USU EXIMIO IN MEDICINA,

Quo

Ad herbationes publicas, proxime instituendas

Rei herbariæ Studiosos

peramanter invitat.

Kiliæ Holsatorum,
Literis Bartholdi Reutheri Academ. Typogr.



Edeuntes poſt hyemis inclementiam purpurei Veris delitiæ, Majusque menſis quem ingredimur, nova herbarum & foliorum viriditate, florumque diverſicolore varietate campos, prata, ſylvas ornans, & partem anni jucundiſſimam aperiens, excitant nos ad æſtiva ſtudia, plantarum nempe conſiderationem, earundemque non ſolum in cathedra pertractationem, ſed in campis, ſylvis, oculis inſtitutam contemplationem, Medico neceſſariam, utilem cunctis, jucundam omnibus. Nolo in præſens vel dignitatem hujus ſcientiæ, vel jucunditatem, vel neceſſitatem ejus prolixis & ad pompam confictis verbis vobis commendare, ſed inſignem, qua præ aliis remediis pollent Vegetabilia utilitatem, exemplis quibusdam præcipuis oſtendam, ut ſi ex his, tanquam ex ungue leonem, illam cognoveritis, tanto majus addiſcendæ Botanices in vobis excitetur deſiderium.

Quæ priſcis temporibus erat humanæ gentis conditio, ut vegetabilium radicibus, herbis, fructibus potiſſimum veſceretur, procul a luxu, gulæque, quas recentius ævum excogitavit illecebris, utilitatis herbarum teſtimonium præbet evidentiſſimum. Neſciebant quippe mortales, ſimplici victu contenti, tot morborum agmina, quibus ab illo tempore, quo præter vegetabilia, animalium myriades in cibum vocarunt, conflictantur. Habent enim carnes aliquid cadaveroſi, ut cum Helmontio loquar, & in ventriculo facile putreſcunt, quod in vegetabilibus non adeo prompte fieri conſtat, quid mirum igitur, ſi hæc ad conſervandam ſanitatem, corpusque nutriendum apta magis eſſe videantur? Nec

Nec opus esse arbitror, hanc plantarum salubritatem pluribus adstruere argumentis, cum vel sola antediluvianorum vivacitas, potissimum victui simplicissimo & e plantis desumto adscribenda, pro illa loquatur, & propositus mihi scopus, quo insignem ad curandos morbos, quæ in plantis latet virtutem celebrandam mihi proposui, alio me ducat; nulla quippe in amplissimo hoc naturæ regno invenitur planta, quæ non habeat peculiarem utilitatem, nullus morbus, qui hic non inveniat remedium, nulla pars corporis, cui non dicatum sit aliquod euporiston.

Capiti, bonæ mentis emporio, quot non dicatæ sunt plantæ, harumque partes? lilia convallium, pæonia, valeriana, betonica, salvia, majorana, & quæ non alia? Cuinam ignotæ sunt virtutes aquæ Reginæ Hungariæ, quas ex rorismarini floribus illa habet? *Oculis* dicata est euphrasia, verbena, fœniculum. *Auribus* chamomilla, lavendula: *Palato* prunella, quercus folia: *Thoraci & pulmonibus*, liquiritia, tussilago, hyssopus, veronica: *Cordi* scorzonera, acetosa, flores cordiales, cinnamomum. *Stomacho* tribuuntur acorus verus, galanga, pimpinella, aromata: *Hepati* cichoreum, plantago, rhabarbarum, absinthium, fumaria: *Spleni* asparagus, polypodium, trifolium aquaticum. *Utero* artemisia, matricaria, melissa, sabina. Et quis omnes recensere potest vel radices, vel herbas, aut flores, quibus singulares virtutes Deus, Auctor medicinae indidit, ut vitiis omnium totius humani corporis partium inserviant?

Si ad morbos eorundemque causas descendamus, nullus profecto inter illos reperitur, cui curando amplissimam supellectilem non præbeat Botanica. Suggerit hæc *anodyna*

effi-

efficacissima, leniendis doloribus paria, ita ut non opus sit in incognitum istud Homeri nepenthes anxie inquirere; sufficiunt nobis papaverina, crocus, ipsumque opium, sine quo, magnus Batavorum Hippocrates Sylvius se Medicum esse nolle, affirmare solebat. Illud dolores quoscunque demulcet, & vigilias compescit, curas pellit, blandamque quietem introducit, si nempe prudenter in usum vocetur. *Obstructiones* viscerum reserant nonnulla, partes minus *laxas roborant* alia, abstergunt, discutiunt. *Febribus* resistit absinthium, carduus benedictus, fumaria, centaurium minus. *Scorbutum* domat cochlearia, trifolium aquaticum. *Ictero* resistit chelidonium utrumque, curcuma. *Vermes fugat* tanacetum, corallina, rhabarbarum, filix, carlina. *Calculi* furias coercet allium, ononis, saxifragia, cerefolium. *Malignitati & venenis* resistit angelica, contrajerua, scorzonera, scordium, ruta, galega. Et ut verbo dicam, habent vel singuli morbi centum remedia, ex regno vegetabili deprompta, quibus vis & vehementia ipsorum obtundi, & destrui potest.

Sed vulgaria hæc sunt, quæ modo diximus, cunctisque nota, quæ tamen in affectibus contumacioribus illudunt sæpius exspectationi medentis, quibus & suas antidotos suggerunt vegetabilia. Quid contumacius quartana febre, quid periculosius hydrope, ut in proverbium abierit tritum istud:

Hydrops, quartana, Medicorum scandala plana.

Iis tamen remedia appropriata possidemus hodie, ut vere de Medicina nostra dicatur, quod Theophrasti Paracelsi epitaphio inscriptum legitur Salisburgi, *tollere illam dira ista vulnera, lepram, hydropisim, aliaque insanabilia corporis*

con-

contagia, arte mirifica. Eccui enim ignota est hodie corticis chinæ chinæ in quartana, aliisque intermittentium paroxysmis efficacia? Cortex est arboris Peruvianae, circa medium seculi superioris a patribus S. I. Romam primo deportatus, & Cardinali de Lujo traditus. Incolis Peruvianis arbor dicitur Gannanaperide, cujus descriptionem lege in compendio apud Valentinum in Polychr. exoticis; reperies ibi historiam inventionis, contradictiones medicorum circa usum ejus, & quomodo a Talbotio Anglo, postquam Galliæ Delphinum per illam a febre contumacissima liberaverat, Rex Galliae magno pretio redemerit, in usum subditorum propalandum remedium, qua occasione post annorum plurium oblivionem, in luce medica apparuit iterum nova hæc medicina antifebrilis, cujus equidem efficaciam nemo, nisi hospes sit in re medica, negabit amplius, cum tot prostent feliciter curatorum febricitantium exempla. Nec interne solum exhibitus corticis hujus pulvis febres fugat, sed quod mirandum, per clysteres inferiori gutturi injectum ejus decoctum, eundem præstat effectum, ut Heluetius, Practicus Parisinus in peculiari tractatu docet, cujus methodum veritati esse consonam toties cum emolumento ægrotantium observavimus. Nec in intermittentibus tantum, sed in continuis quoque vires suas exerit cortex ille laudatus, quemadmodum non sine felici successu a se usurpatum fuisse testatur Apinus, & alii.

Quid dicam de hydrope? Certe ubi remedia chymica, ex luna, marte, aut aliis mineralibus præparata nos destituunt, solus interior sambuci cortex, aut succus iridis nostratis, contumacissimum illum de-

bel-

bellarunt morbum, loquentibus Medicorum observationibus, & exemplis satis obviis. Phthisi, cui nec antihecticum illud decantatum Poterii, nec tinctura antiphthisica Michaëlis, & efficacissima quæque alia inventa sunt paria, sola vegetabilium decocta, succosque eorundem medelam atulisse, tam certum est quam quod certissimum, & sistere possum Virum ætatis consistentis, ante annos hos octo phthisi confirmata desperate decumbentem, quem solius bellidis herbæ usu ex orci faucibus retraxi.

Quis vero nescit, quam funestas strages in castris præsertim edere soleat dysenteria, seu alvi fluxus cruentus, morbus periculossimus, cui tamen classis vegetabilium appropriatum suggerit remedium. Nota est elogio illustris Leibnitii Radix Ipecacuanha, radix exotica, ex Brasilia ad nos delata, descripta ante plures annos a Pisone, specificum in dysenteria, hactenus tamen vel ob penuriam ejus, vel ob medentium negligentiam, parum in usum vocatum. Postquam vero paucis retro annis, Helvetius, Medicus Parisinus, quem supra nominavimus, vires ejus in nosocomiis expertus est, nunc usus ejusdem magis inclaruit, & non sine successu adhibetur, si modo optimam & genuinam radicem semper obtinere liceat.

Nec faba S. Ignatii prætermittenda est hoc loco, cujus virtutes in ventriculi & intestinorum morbis, affectibus catarrhalibus, convulsivis, febribus, qua continuis, qua intermittentibus, maximis encomiis extolluntur, ita, ut si vera quæ de illis dicuntur, sunt omnia, in illis polychrestum habeamus remedium magnarum virium. Obstat tamen pretium ejus & raritas, quo minus plura experimenta

rimenta

rimenta institui potuerint, sed hæc tempori illi reservanda sunt, quo major copia remedii ex Indiis ad nos delati ejus pretium imminuet.

Et quid dicam de Vegetabilium efficacia in profliganda lue, ab impura venere orta? Certe si vel sola chinæ & sarsæparillæ radix, aut Guajacum lignum non suppeterent, parum spei recuperandæ pristinæ sanitatis superesset veneris istis nepotulis: neq; enim semper illam, quam sperabant, in Mercurio sacram anchoram inveniunt, neque post toties incassum tentatam salivationem, reiterare illam sine præsenti periculo semper licet, sed solis vegetabilium decoctis curatio tunc instituenda est, quam sicut felicissime cessisse sæpius novi, ita etiam solis his decoctis sine ulla salivatione profligatum fuisse morbum turpissimum in quamplurimis vidi, nec denegandam esse fidem Abercrombio, qui tutam & efficacem methodum curandi luem sine mercurio & salivatione evulgavit.

Tantæ ac tales sunt Vegetabilium virtutes, quibus pares rarissime, superiores nunquam in reliquis naturæ regnis licet reperire. Quis igitur dubitabit, utilissimam esse generi humano plantarum considerationem? Quis non flagrabit desiderio pernoscendi vegetabilia cuncta, cum in vilissimo gramine magnæ lateant virtutes? Agite igitur Commilitones nobilissimi, & quas in commodum vestrum per æstatem instituturus sum lustrationes herbarum publicas, frequenti vestra præsentia ornate, præeuntem me sequimini, initium fiet Mensis Maji die X. hora matutina 7. nisi cœli inclementia aliud suaserit. P. P. Maji Mensis die VIII. MDCCVII.